

65. 1. Baithusæum aliquid quærentem à R. Josua, *Schabb.* fol. 108. 1. frequentemque eorum memoriam alibi.

Speciatim verò hoc præterire non possumus, quod occurrit *Rosh bashanab*, cap. 2. hal. 1. *Antiquitus receperunt testimonium de Novilunio à quovis homine; משקלקלו המיניו* Postea verò cum fallaciter agerent Heretici, &c. Sic legit Misna Hierosolymitana. At Babylonica, *משקלקלו הביתוסין* postquam fallaciter, aut leviter agerent Baithusæi. Et Misna seorsim edita Amsterdami *משקלקלו האפיקורוסין* Cum leviter agerent Epicuræi.

Ubi Gemara utraqve: *Conati sunt Baithusæi in errorem ducere sapientes, & conduxerunt quadringentis Zuzæis unum de nostris, alterum de suis, ut falsò testarentur de Novilunio, &c.* Rationem reddunt glossatores:

*Incidit dies tricesimus טג Adar in Sabbatum, & non apparuit Novilunium in tempore suo, & ambierunt Baithusæi, ut primus dies Paschatis incideret in Sabbatum, ut oblatio manipuli incideret in primum hebdomadis, & sic dies Pentecostes in primum hebdomadis.*

Quinam jam sunt Baithusæi? Sadducæi, an Samaritani, an Christiani, an aliquid quartum? Christiani volunt, diem Pentecostes esse primam Sabbati; sed an eos velint in hac particulâ? judicent alii. In aliis aliter.

*Hieros. Joma. fol. 39. 1. Quare adjurant summum Pontificem, ut ritè præstet opus diei expiationis? Propter Baithusæos, qui dixerunt, suffitum faciat ab extra, atque introducat ad intra. Historia est de quodam, qui suffitum fecit ab extra, atque introduxit ad intra. — De quo dixit quidam: Mirarer ego, si iste diu viveret. Dicunt quod intra paucillum temporis obiit. Crederes hunc Pontificem fuisse, & Baithusæum.*

VERS. 9. Γραμματεῖς ἐκ μέγας τῶν Φαρισαίων.

Nam etiam erant Γραμματεῖς ἐκ μέγας τῶν Σαδδουκαίων: Atque ex utraqve parte Γραμματεῖς non distingvendi sunt, vel à Pharisæis, vel Sadducæis, qui præsentibus jam erant in Synedrio; sed hoc vult, Γραμματεῖς, qui erant de sectâ & professione Pharisaicâ vel

R

Saddu-